

Salvo iure proprietatis et translationis.

LUDRUM PRELO SUBIECIT B. G. TEUBNER LIPSIENSIS.

PROOEMIUM

PRIMAE LATINAE EDITIONI

ANNO MDCCCLX AB AUCTORE ADDITUM.

Abhinc septem annos grammaticae Hebraicae specimen edidi vernaculo sermone conscriptum, quae editio in hoc temporis spatio sexies repetita brevitatis causa aliquo apud viros scholasticos pretio esse videtur. Eandem rem nunc sermone tractare Latino aggressus internam libelli rationem non mutavi. Ut antea ita nunc subtilioribus quaestionibus omissis id unum operam dedi, ut brevi ac circumcisa rerum definitione tironibus ad linguam Hebraicam aditus pararetur quam facillimus. Quid enim linguae Hebraicae cognitioni magis obstat, quam longi laboris illud taedium, quo adolescentibus capiuntur, quum iam in ipsis Hebraicae linguae elementis ediscendis magnam rerum subtilissimarum et minutissimarum copiam memoriae mandare cogantur? Leges igitur grammaticorum quam strictissime pronuntiandae sunt, neque quidquam proderit, tironem omni allata exceptione in praeceptis accurate intelligendis ineundisque tardari, cum postea in studiorum progressu illae difficultates, quae raro in bibliis sacris occurrunt, facilius et a praeceptore exponantur et a discipulis intelligantur. Quamobrem quaecunque a vulgari linguae Hebraicae usu longius recedere et rara parumque solita esse videbantur, in hoc libello omit-tenda esse putavi. Eodem modo in exercitationibus analyticis via brevissima omnino est praefenda, quoniam non pueris inexercitatis rudimenta Hebraicae linguae proponuntur, sed adolescentibus in linguarum studiis alioquin satis ver-

satis. Quamquam adulto quoque tironi in discendo quasi scalae quaedam necessariae sunt, quibus magistri manu adiutus a levioribus ad difficiliora commode ascendat, tamen hae scalae breves esse debent, ut adolescentes brevissimo temporis spatio necessariis praesidiis instructi ipsam librorum sacrorum interpretationem confidenter et impigre aggredi possint. Quare in constituendis atque explicandis regulis praecipue brevitati prospexi, ita tamen, ut libellus ad scholarum usum destinatus simul studiis privatis et sine praeceptore susceptis opem ferre posset.

PRAEFATIO EDITORIS.

Scriptore huius libri mortuo quum a redemptore amicissimo ad novam editionem parandam evocarer, in absolvendo ac perficiendo opusculo tantum tribuere doctrinae statui, quantum per pietatem auctori clarissimo debitam liceret. Itaque, quae cum linguarum scientia, qualis nunc est, iam non convenire videbantur, retractavi, syntaxim exemplis uberioribus instruxi, sermonem emendavi atque magis perspicuum reddidi; internam autem quam scriptor vocavit libri rationem etiamsi invitus retinui, brevitatis legi non derogavi atque, ne praeceptoribus dissimilitudo librorum in scholis adhibitorum accusanda esset, cautionem adhibui. Sextam editionem benigno amicorum auxilio ceteris accuratiorem et solidiorem reddere licuit; unde hanc non dubitavi emendatissimam inscribere atque libelli formam statui in posterum immutatam relinquere.

D. BONNAE, Kal. Febr. MDCCCLXXXIV.

Dr. Fr. Kaulen.